



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 29. Califæ Fatimitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. Græci rem hoc modo contigisse re-
 A.C. 1010. ferunt: Anno Mundi 6518. Indictione
 Cedr. p. 706. octava, nempe anno reparatæ Salutis
 1010. Azizius, Ægypti Præfectus, pace
 olim cum Romanis sancita levi ex causa
 violata, Magnificum S. Sepulchri Jero-
 solymitani templum evertit, monasteria
 destruxit, & ejectos monachos dispersit.

§. XXIX.

Califæ Fatimitæ.

Sup. l. LV. §. 13. At vero Scriptores Orientales literis
 mandarunt, S. Sepulchri destructo-
 rem, ex Califis Fatimitis tertium *Haquem*
Biamrilla, non autem Azizium ejus pa-
 rentem extitisse. Quod ut facilius in-
 telligatur, propius ad originem redeun-
 dum est. Memoravi suo loco potentia
 Fatimitarum in Africa exordia, primos-
 que duos hujus Stirpis principes, Maho-
 metem *Mebedi*, & *Caim*, ejus filium. Hic
 Elim. lib. 3. Successorem habuit filium *Almanzor*, cui
 p. 227. Bib. filius *Moez Lidinilla* successit. Is Ægy-
 Or. Moez p. pto, anno Hegiræ 358. Christi nati 969.
 595. in suam potestatem redacta, Califæ in illa
 mundi parte proclamatus, recitari pre-
 ces prohibuit, quæ nomine Califæ *Ab-
 baside*, Bagdati regnantis, offerebantur.
 Unde Schisma inter Musulmannos exor-
 tum, his Califam Abbasidenum, illis
 Califam Fatimitam venerantibus, quod
 ante annos ducentos extinguere non po-
 tuit.

tuit. Anno Hegiræ 362. Salutis 971. Sæculum XI. Moez novam urbem condidit, Regni sui A.C. 1010. Sedem, cui nomen *Alcaira*, id est, *Vi-*
etrix, datum, quod sideribus illam tenen-
tibus stationem, qua Mars Planeta domi-
natur, fuisset ædificata. Hanc urbem
nos Cairum (*) appellamus. Moez anno
Hegiræ 365. Salutis 975. e numero mor-
taliū deletō, successit filius Azizius
Billa.

Is duxerat uxorem Christianam, ex
qua filiam suscepit. Hinc ut dilectæ
conjugis amorī aliquid daret, duos ejus
fratres, Jeremiam Jerosolymæ, & Arse-
nium Alexandriæ, Patriarchas, ambos *Elmac. p.*
Melchitas, constituit. Arsenius a Califa 247.
Ecclesiam Beatissimæ Virginis huc usque
a Jacobitis occupatam petiit & obtinuit,
exinde factam Ecclesiam Melchitarum
Patriarchalem. Azizius anno Hegiræ *Elmac. p.*
386. Salutis nostræ 996. ex hac vita de- 243.
cedens, Successorem reliquit filium *Ha-*
quem Biamvilla annos natum undecim,
qui annis viginti quinque sceptrum ro-
tavit.

Erat

(*) Cairus & Alcirus, Ægypti maxima ci-
vitas, opportuno loco sita, ubi nimirum Nilus
primum secatur, ac forinam ꝑ facit, Lutetiam Pa-
risiorum, ut quidam ajunt, quinquies superat.
Geogr.

Sæculum XI.

A.C. 1010.

*Elm. p. 259.**Abulfarag.**p. 221. Bibl.**Or. Hakem**Hemvillap.*

411.

*Elm. p. 264.**Bibl. Orie.**Dararicum.*

p. 287.

Erat vero *Haquem* in homines improbus & impius in Deos, fatuus, leviter mutabilis, & usque adeo crudelis, ut aliquando iræ intemperans magnam urbis Cauri partem flammis vastari & cives plurimos trucidari jussit. Christianos Judæosque persecutus est, istorum Synagogas, illorumque Ecclesias demolitus. Unde complures in Apostasiam lapsi impiam Mahometis superstitionem susceperunt. Sed postea *Haquem* iisdem potestatem fecit, pristinam Religionem de novo profitendi & Sacella sua restaurandi. Tandem Divinos honores affectans, habebat conscriptum illorum indicem, qui ipsum Deum crederent, non pauciores, quam sexdecim hominum millia. Principis insanix adulabatur quidam impostor Persa, nomine *Mabomet* Ismaelis filius, & cognomento *Darari*, qui anno Hegiræ 408. Christi 1017. in Ægyptum venerat. Is *Haquem* Principis juvenis obsequiis se addixit, amorem & magna beneficia sibi conciliavit, in vulgus spargens, hunc juvenem, Deum esse, Creatorem universi. At populus pessimum servitutis genus averſatus turpe mancipium *Darari* neci destinat, quem quidam Turca ipsius Califæ curru vectum interfecit. Tum occisi ædes diripiuntur, clauduntur portæ civitatis, & in illo tumultu, qui triduo tenuit, non nulli *Dararici*,

rarici, nam Sectatores aliquos habebat Sæculum XI.
A.C. 1010.
veterator, vita exuti.

Quin etiam Successorem habuit de sua natione Persam, nomine *Hamza*, filium *Abmed*, cognomento *Alkadi*, id est, Rector. Qui, cum multi ad ipsum confluerent Discipuli, Magistros constituit aliquot in Ægypto & in Syria, nam & huic Provinciæ Califæ Fatimitæ, imo & late in Arabia, dominabantur. Docebat vero *Hamza* omnem vitæ licentiam, suosque cum sororibus, cum filiabus, cum matribus incestu coire, tanquam in iusto conjugio, permittebat. Eosdem ab omnibus Religionis operibus, a jejunio, ab oratione, a peregrinatione immunes pronunciabat. Hinc magnus Sectatorum numerus crevit, quippe eum præterea *Haquem* aperte tuebatur, atque ejusdem Doctrinam amplexus, Califæ, Summique suæ gentis Pontificis, munere fungi negligebat, nec publice preces concipiens, nec in *Moschea* diebus Veneris ad populum dicens. Tempore *Ramadan* non jejunabat, non duo Musulmannorum Festa celebrabat; quin etiam per annos aliquot peregrinos Mechem ire prohibuit.

§. XXX.

Ecclesiæ Orientis.

Idem Tyrannus Zachariam Patriarcham
Jaco-